

Ad illustrissimum  
atq;  
excellentissimum  
... Nicolaum  
Gyldenstolpe,  
liberum ...

Sarcovius, Daniel,

*1 Ic 1689 Fol. Gyldenstolpe,  
Nicolaus*



National Library  
of Sweden

*Ad Illustrissimum atq; Excellentissimum*  
**DOMINUM,**

**D<sup>N.</sup> NICOLAUM**  
**GYLDENSTOLPE,**

Liberum Baronem,

Aulæ Cancellarium & Mareschallum Provincia-  
 lcm Ordinis Equestris Regni Sveciæ,

*Dominum suum ac Patronum Gratosissimum,*

Quo suæ Excell:æ de caractere Mareschalli in Comi-  
 tiis Regni Anno 1689. Holmiæ celebratis gratulabatur,

*Suæ Excell:æ*

*Devotissimus & Humillimus Servus*

DANIEL SARCOVIUS.

---

HOLMIÆ, Literis B. Nicolai Wankifwii, Typ. Reg.



**D**ignos laude viros meritis mactare, triumphis  
Insignes, studiisque, quibus Respublica firmis  
Fundatur talis, cultusque Deique statusque  
Imperii floret, res est æquissima: sicque  
Prisci etiam fecere Duces, populiq, patresque,  
Congrua pro meritis reddentes præmia magnis.  
Metiri pretio poterit quis anne salutem  
Regni, securam turbis pacemque Penatum,  
Que non duntaxat bello, non queritur armis,  
Sed quoque consiliis prudentibus, ore disertis.  
Ergo acquirentes, num destituentur honore  
Et pacem terris, & plurima commoda, cunctos  
Consumendo dies, multas noctesq, labore  
In patrium vergente bonum? Fam dixerat olim  
Inclutus arte Sophus, tum denique regna beata  
Dici, quando tenet regni Sapientia clavum;  
Et quoque prudentes ornantur honoribus amplis.  
Stemmata prognaſci claro, longosq, parentum  
Annales memorare quidem non infima laus est:  
Incluta majorum sed parta nomina fama  
Aut æquare, suis aut denique vincere factis,  
Ac splendore velut proprio inclareſcere, longe  
Nobilior virtus. Nec Mars est solus honorum  
Diribitor, nec militibus respublica solis  
Firma stat, immanem nunquam sensura ruina.  
Sed veluti corpus miserum sine mente cadaver,  
Sic ubi prudentesq, status, legumq, periti  
Defuerint, terra est ac natio proxima labi:  
Utq, sub indocto navis rectore procella  
Exposita, exitium metuit subitamq, ruina.

Ergone

Ergone non summa cantande es CAROLE laude,  
CAROLE delicia Sveonum, septentrionale  
Sidus, & exemplum populi, Regumq;, Ducumq;,   
Magnis virtutem titulis & honore coronans?  
Ut Tua GYLDENSTOLPE, canam præconia, nostræ  
Non opis est, etiam tenui depingere penna,  
Exquirunt docti quæ venam tacta Poeta,  
Vanum erit. Ut primum prodibas lucis in auras,  
Ad Tua cantârant doctæ incunabula Musa:  
Cresce puer longe felicibus edite stellis,  
Cresce, Tui generis superabis nomine cunctos,  
Splendor erisq;, domus. Non heic ubi nasceris omni  
Tempore mansurus, concedes Regis in aulam,  
In terris deges externis Principis inde  
Nomine, tumq;, Lares repetens post gesta priores  
In patriæ cessura decus, clarescere summis  
Incipies titulis, summa queis Svecia maçtat  
Insignes virtute viros. Sunt verba Dearum,  
Quæ cecinere, choro summusq;, applausit Apollo.  
Tempus erat cum Phæbus equis peragrasset æquatis  
Signa, relustrando pisces, conventus habetur  
Imperii, Noster classem præcesserat omnis  
In numerum retulit quos Svecia Nobilitatis,  
Vestibus indutus pretiosis, atq;, corusca,  
Quam tenuit dextra, spectandus arundine, doctos  
Protuleratq;, sonos, adstantibus ore stuporem  
Incutiens non sic Ciceronis verba putares  
Pomposo ac suavi quondam condita lepore.  
Atria tunc Pindi resonabant undiq;, letis  
Vocibus, exultare Deæ, non gaudia vidi

Consimili

Consimili perfusa modo, ferit aethera clamor.  
Causa fuit (Phæbus nam sic narraverat ipse,)   
Letitia, quia fatidica velut ante sorores  
Dixerunt, summo tandem mactatus honore  
GYLDENSTOLPE fuit, sacros qui fonte liquores  
Pegaseo biberat totius tempore vitæ.  
In Parnasseis spatiabar forte viretis  
Extulerant doctæ cum iubila tanta sorores,  
Et longa huic Nostro nerunt quoq; stamina Parca.  
Tunc mihi Phæbus ait, Tanto nunc ecce! Patrono  
Fas est ut summos pariter grateris honores,  
Ejus & implores porro simul ipse favorem  
Carminè quod sequitur: Musarû maxime Fautor  
GYLDENSTOLPE decus patrii quoq; nobile regni,  
Non mihi nate Diis o Vir sors invida Cræsi  
Divitias dederat, nec quam Pactolus abunde  
Producit gazam, sed sunt mea carmina dona,  
Queis sverunt leti se delectare poeta.  
His cantabo Tui per plurima signa favoris  
GYLDENSTOLPE Tuum vitæ quoq; nomen in ævo.  
Quamvis major erat longe Tua gratia nostri  
Quam valeant versus dignis describere verbis,  
Hanc Tibi Dii referant. Excelso munere felix  
O fruerè, & diuturnus honos & gloria præcox,  
Sis terræ & Arctœ, seri videantq; nepotes  
O Tantum eripier lumen mortalibus hisce !!

\* \* \* \* \*